

foràs, *Job. XII. 31. c. XVI. 11. Ratione nostri verò & hic hostis subjiciendus restat, quapropter mundus totus in malo jacere, i. Job. V. 19. odisse pios, Job. XV. 18. c. XVII. 14. i. Job. III. 13. illosq; ut περικατάμαρτα reputare i. Cor. II. 13. legitur. Neque verò huic hosti succumbunt fideles, sed quæ DEI est benignitas, victores illius evadunt, quia major est, qui in illis, quàm qui in mundo est, i. Job. IV. 4. omneque ex DEO natum vincit mundum, & hæc est victoria, quæ vicit mundum, fides nostra, i. Job. V. 4. In consummatione autem seculi & hic hostis penitus abolebitur in membris CHRISTI mysticis, ac mundi seductio non amplius imminebit beatis, quia in cælum, perfectæ beatitudinis, quietis & lætitiæ locum, translati, ab omni deceptionis periculo erunt liberi. Gerhardus l. c.*

§. IX. Progredimur ad tertium hostem, qui est (c.) *Peccatum*, hujus quoq; subjectionem visuri; Ubi denuò, si CHRISTUS *ratione sui* consideretur, ex Scripturis edocemur, illum vi meriti sui sufficientissimè totius mundi peccata expiassè. Omnia quippe orbis peccata seu originale, seu actualia, quocunq; ea veniant nomine, ipse portavit, sustulit, persolutione pretii omnium pretiosissima, & luitione pœnarum sufficientissima, ut loca *Es. XLIII. 24. Cap. LIII. 6. 11. Job. I. 29. 1. Tim. I. 15. Tit. II. 14. 1. Job. I. 7.* satis evincunt; Hoc ipso namq; merito peccata condemnavit, *Rom. VIII. 3.* Chirographum delevit, *Col. II. 14.* atq; sic unica oblatione consummavit in perpetuum omnes, qui sanctificantur, *Ebr. X. 14.* At verò *ratione nostri* peccatum æque originale ac actuale nobis inhærere proh dolor! inter omnes constat, quæ causa est, quod etiam de renatis dicatur, ipsos venundatos esse sub peccatum, peccatum ipsos inhabitare,

C

tare,